An. et vol. XXXIX 29-31 Decembris 1947 (Ser. II, v. XIV) – N. 15-16

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

SUMMARIUM. — Fasciculus n. 15: Acta Pii Pp. XII: Epistula Encyclica, p. 601 – Constitutiones Apostolicae, p. 605 – Litterae Apostolicae, p. 616 – Epistulae, p. 619 – Allocutiones, p. 621 – Nuntii radiophonici, p. 625. — Acta Ss. Congregationum: *S. C. Consistorialis*: I. Decretum, p. 635; II. Provisio Ecclesiarum, p. 637 – *S. C. de Propaganda Fide*: I. Provisio Ecclesiarum, p. 639; II. Nominationes, p. 640 – *S. C. Rituum*: Decretum de virtutibus pro beatificatione Ven. S. D. Ludovici Pavoni, p. 641. — Diarium Romanae Curiae: Udienze solenni – S. C. dei Riti: Congregazioni varie – Segreteria di Stato: Nomine e Onorificenze – Necrologio, pp. 644-648.

Fasciculus n. 16: Indices vol. XXXIX an. XXXIX, 1947: I. Index generalis actorum, p. 649 – II. Index cronologicus documentorum, p. 651 – III. Index nominum: *a*) personarum, p. 660; *b*) dioecesium, vicariatuum etc., p. 671; *c*) religionum, p. 678 – IV. Index rerum analyticus, p. 680.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M · DCCCC · XLVII

Directio:
Palazzo Apostolico — Città del Vaticano
Administratio:
Libreria Editrice Vaticana

Pretium annuae subnotationis:
In Italia, Lib. 500 — extra Italiam, $ 3
Pretium unius fasciculi:
In Italia, Lib. 50 — extra Italiam, $ 0,20

« *Bis fere in mense* (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur* » (Ex *Commentarii Officialis* ratione, die 29 Octobris 1908 edita).

Conto corrente con la Posta

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XXXIX, n. 15 - 29 Decembris 1947)

ACTA PII PP. XII

EPISTULA ENCYCLICA

Optatissima pax. - Ad Venerabiles Fratres Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos aliosque locorum Ordinarios pacem et communionem cum Apostolica Sede habentes: publicae indicuntur supplicationes ad civium ordinum populorumque concordiam conciliandam. - 18 Decembris 1947 . 601

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I. *De Calabar.* - Praefectura Apostolica de Calabar, in Africa Occidentali Britannica, ad Vicariatus Apostolici gradum et dignitatem evehitur. - 12 Iunii 1947 605

II. *De Ouagadougou* (Ouahigouyaensis). - E Vicariatu Apostolico de Ouagadougou pars distrahitur et nova erigitur Praefectura Apostolica Ouahigouyaensis. - 12 Iunii 1947 . . . 606

III. *Montis Laurei.* - In cathedrali ecclesia Dioecesis Montis Laurei Canonicorum Capitulum erigitur. - 28 Iunii 1947 608

IV. *Rosariensis.* - In cathedrali ecclesia Rosariensis Dioecesis Capitulum Canonicorum erigitur. - 5 Iulii 1947 . 610

V. *De Kafiristan et Cashmirensis* (Rawalpindiensis). - Praefectura Apostolica de Kafiristan et Cashmirensis, in Indiis Orientalibus, ad Dioecesim gradum et dignitatem evehitur, sub nomine «Rawalpindiensis». - 10 Iulii 1947 612

VI. *De Taming* (Tamimensis). - Praefectura Apostolica de Taming in Dioecesim «Tamimensem» nomine constituitur. - 10 Iulii 1947 614

LITTERAE APOSTOLICAE

I. *Tanta fuit.* - Cathedralis ecclesia Thermularum ad dignitatem et honorem Basilicae Minoris evehitur. - 25 Aprilis 1947 616

II. *De animarum.* - Delegatio Apostolica in Archipelago Indonesiano erigitur. - 7 Iulii 1947 618

EPISTULAE

I. *Laeto quidem animo.* - Ad Em̃um P. D. Iacobum Aloysium tit. Sancti Hieronymi Illyricorum S. R. E. Presbyterum Cardinalem Copello, Archiepiscopum Bonaërensem, quem Legatum renuntiat ad Marialem Conventum e tota Argentina republica in urbe Luján celebrandum. - 29 Septembris 1947 619

II. *Inter asperrimas.* - Ad Exc̃um P. D. Angelum Rotta, Archiepiscopum tit. Thebanum in Graecia, Nuntium Apostolicum, quina lustra episcopatus feliciter explentem. - 20 Octobris 1947 620

ALLOCUTIONES

I. Ad Legatum Reipublicae Panamensis. - 11 Novembris 1947 621

II. Ad Legatum Reipublicae Haitianae. - 15 Novembris 1947 623

NUNTII RADIOPHONICI

I. A Summo Pontifice christifidelibus datus ob Conventum Nationalem, indictum a consociatione «National Conference of Catholic Charities» vulgo nuncupata, in urbe Nova Aurelia coadunatis. - 12 Octobris 1947 . . 625

II. A Summo Pontifice christifidelibus datus ob Conventum Marialem e tota Argentina in urbe Luján coadunatis. - 12 Octobris 1947 627

III. A Summo Pontifice datus christifidelibus Foederatorum Statuum Americae Septentrionalis, pro nationibus indigentibus auxilia colligentibus. - 23 Novembris 1947 630

IV. A Summo Pontifice christifidelibus datus, ob Conventum internationalem Piarum Congregationum Marialium Barcinone in Hispania coadunatis. - 7 Decembris 1947 632

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I. *Tarvisina.* - Decretum Collationis tituli abbatialis. - 25 Martii 1947 . . 635

II. Provisio Ecclesiarum 637

S. CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

I. Provisio Ecclesiarum 639

II. Nominationes 640

SACRA CONGREGATIO RITUUM

Brixien. - Decretum de virtutibus pro beatificatione Ven. Servi Dei Ludovici Pavoni, sacerdotis, fundatoris Congregationis Filiorum M. Immaculatae. - 5 Iunii 1947 641

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Udienze solenni 644

Sacra Congregazione dei Riti: *Varie* . . 644

Segreteria di Stato: *Nomine* e *Onorificenze* 645

Necrologio 648

An. et vol. XXXIX 29 Decembris 1947 (Ser. II, v. XIV) – N. 15

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

EPISTULA ENCYCLICA

AD VENERABILES FRATRES PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES: PUBLICAE INDICUNTUR SUPPLICATIONES AD CIVIUM ORDINUM POPULORUMQUE CONCORDIAM CONCILIANDAM.

PIUS PP. XII

Venerabiles Fratres salutem et Apostolicam Benedictionem. — Optatissima pax, quae sit « tranquillitas ordinis » [1] ac « tranquilla libertas »,[2] post cruentas diuturnae conflictationis vices ut tristibus ac trepidis patet omnibus, adhuc labat anceps, ac suspensos et anxios populorum tenet animos; dum in Nationibus non paucis, iam bello vastatis, ac consequentibus inde ruinis egestateque perculsis, civium ordines acri inter se odio permoti, innumeris, ut omnes cernunt, tumultuationibus ac turbis ipsa minantur concutere ac subruere Civitatum fundamenta. Ob funestum eiusmodi miseriarum spectaculum, summa aegritudine Noster oppletur animus, ac videtur Nobis paternum, quo divinitus fungimur, universaleque munus a Nobis postulare, non modo ut gentes omnes ad restinguendas simultates

[1] Cf. S. Aug., *De Civ. Dei*, l. XIX, c. 13; S. Thom., *Summ. Theol.*, II-II, 29, 1, ad 1um.
[2] Cic., *Philipp.*, II, c. 44.

et ad concordiam feliciter redintegrandam adhortemur, sed ut quotquot etiam habemus in Christo filios enixe admoneamus, ut supplices velint incensioresque ad caelum admovere preces, quandoquidem novimus quidquid non propitiato Deo agatur, mancum atque in cassum evadere, secundum divinam illam Psaltae sententiam: « Nisi Dominus aedificaverit domum, in vanum laborant qui aedificant eam ». [3]

Pergravia utique sunt mala, quibus medendum est, ac medendum quam citissime potest. Siquidem ex una parte oeconomica res, ob bellica facta impendia eversionesque immanes, multis in Nationibus ita extenuata atque incerta iacet, ut impar ad opportuna suppeditanda remedia saepenumero evadat, et ad utilia illa excitanda incepta, quibus necessarius eis omnibus praebeatur labor, qui ad inane sint otium non volentes coacti; ex altera vero non desunt qui operariae plebis inopiam callido quodam ac tecto consilio exagitent atque exasperent, atque adeo nobiles illos nisus praepediant, quibus ad dissipatas fortunas recto ordine ac iustitia auspice reficiendas contendatur. At intellegant omnes opus est non discordiis, non tumultuationibus, non fraternis caedibus renovari posse civium ac rei publicae collapsas vel periclitantes opes, sed actuosa solummodo concordia, sed mutuo collata opera pacificoque labore.

Qui ad turbas, qui ad seditiones, qui ad ceterorum offendendam libertatem praemeditata quadam ratione inconsultam multitudinem concitent, ii procul dubio non eius indigentiam relevant, sed potius, ob mutuum refricatum odium et ob perturbatum rerum operumque cursum, necessario adaugent, ac vel etiam possunt ad extremam provocare perniciem. Etenim certamina factionum « fuerunt eruntque pluribus populis magis exitio, quam bella externa, quam fames morbive ». [4]

Sed pari modo intellegant omnes oportet tam ingens esse in praesens rerum omnium discrimen, tam formidolosum in po-

[3] *Ps. CXXVI*, 1.

[4] Liv., *Hist.*, l. IV, c. 9.

sterum, ut omnino necesse sit privatis suis cuiusque commodis atque profectibus, eorum praesertim qui divitiis affluant, communem anteponere utilitatem.

Id vero imprimis ante oculos habeatur, atque intenta consideretur mente, hoc esse prorsus urgens, hominum nempe pacificare animos, eosque ad fraternam consensionem conspirationemque, ad adiutricem invicem operam, et ad ea suscipienda consilia ac proposita reducere, quae et christianae doctrinae praeceptis et praesentibus rerum adiunctis respondeant.

Reminiscantur omnes immania illa, quae superioribus annis perpessi sumus mala ac detrimenta, idcirco potissimum evenisse, quod divina Iesu Christi Religio, mutuae civium, populorum ac gentium caritatis altrix, non in privatam, non in domesticam ac publicam, ut oportebat, dominabatur vitam. Si igitur ob discessum a Christo erratum est, ad eum quam primum est publice privateque regrediendum; si error fuscavit mentes, ad veritatem illam revertendum est, quae, utpote divinitus patefacta, rectum pandit ad caelum iter; si odium denique fructus edidit mortiferos, ad christianum est redeundum amorem, qui unus potest tot lethales sanare plagas, tot formidolosa superare discrimina, ac tot acerrimos mulcere dolores.

Quoniam vero suavissima illa iam appropinquant Natalicia Sollemnia, quae Puerulum Iesum in cunabulis vagientem atque Angelorum choros, pacem hominibus canentium, in memoriam revocant, opportunum ducimus christianos adhortari omnes, eos nominatim, qui in flore aetatis sunt, ut frequentes sacrum adeant Praesepe, ibique hac de causa preces fundant, ut nempe divinus Infans minaces, quae agitantur, contentionum seditionumque faces restinguere atque arcere benigne velit. Collustret ipse caelesti luce sua eorum mentes, qui saepenumero potius quam pervicaci malitia, erroribus, veritatis specie fucatis, decepti sunt; reprimat ipse ac sedet in animis simultatem, componat discordiam, et christianam reviviscere ac vigere iubeat caritatem. Eos, qui elata fortuna utuntur, generosam doceat

erga egenos largitatem; eos vero, qui humili ac misera anguntur sorte, exemplo suo supernaque ope consoletur, et ad caelestia bona, quae potiora ac perpetuo mansura sunt, desideranda imprimis convertat.

Multum Nos, in praesentibus rerum angustiis, insontium puerorum precibus confidimus, quos divinus Redemptor peculiari modo acceptos habet ac diligit. Candidas igitur voces tenuesque manus, internae innocentiae indices, per Natalicia praesertim sollemnia, ad eum erigant, pacem, concordiam mutuamque comprecantes caritatem. Ac praeterea incensissimis suis precibus ea adiungant cupimus christianae pietatis opera christianaeque largitatis munera, quibus liceat divinam placare iustitiam, tot flagitiis offensam, atque indigentium pro facultate succurrere necessitatibus.

Fore autem omnino speramus, Venerabiles Fratres, ut — vobis auctoribus ac suasoribus, ut assoletis, diligentissimis — haec paterna hortamenta Nostra felicibus cum fructibus effecta dentur; atque omnes, ii potissimum, qui florenti aetate fruuntur, Nostris vestrisque invitationibus libentes generosique respondeant.

Qua suavi spe freti, cum vobis singulis universis, Venerabiles Fratres, tum gregibus unicuique vestrum concreditis, Apostolicam Benedictionem, caelestium gratiarum auspicem paternaeque benevolentiae Nostrae testem, effuso animo impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die XVIII mensis Decembris, anno MDCCCCXXXXVII, Pontificatus Nostri nono.

PIUS PP. XII

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

DE CALABAR

PRAEFECTURA APOSTOLICA DE CALABAR, IN AFRICA OCCIDENTALI BRITANNICA, AD VICARIATUS APOSTOLICI GRADUM ET DIGNITATEM EVEHITUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Solet Apostolica Sedes ad maiorem dignitatis gradum illas evehere Praefecturas Apostolicas, in quibus, Deo opitulante, notabile christiana res fecerit incrementum. Cum itaque Praefectura Apostolica de Calabar, in Africa Occidentali Britannica, ob sedulam et industriam Sodalium, quibus concredita est, Societatis S. Patritii in Hibernia pro Missionibus exteris curam, laetos, praesertim proxime superioribus annis, evangelicos retulerit fructus, visum est eam ad Vicariatus Apostolici gradum extollere. Quapropter Nos, praehabito venerabilis Fratris Davidis Mathew, Archiepiscopi Titularis Apameni in Bithinia et Apostolici Africae Orientalis et Occidentalis Britannicae Delegati, favorabili voto, de venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium S. Congregationis de Propaganda Fide praepositorum consilio, suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, omnibus mature perpensis, certa scientia, de apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, Praefecturam Apostolicam de Calabar, iisdem servatis nomine ac limitibus, in Vicariatum Apostolicum erigimus et constituimus, et eum praefatae Societatis S. Patritii in Hibernia pro Missionibus exteris sodalibus, qui tam sollerter in regione illa plures iam annos adlaborant, ad Nostrum tamen et Apostolicae Sedis beneplacitum, concreditum volumus. Novo autem huic Vicariatui de Calabar eiusque pro tempore Vicariis Apostolicis omnia tribuimus iura, privilegia, honores et potestates, quibus ceteri per orbem Vicariatus Apostolici eorumque Praesules iure communi fruuntur et gaudent, eosque pariter iisdem adstringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri adstringuntur. Quae omnia ut supra disposita et constituta, rata ac valida esse volumus et iubemus, contrariis quibuslibet minime obstantibus. Harum vero Litterarum transumptis vel excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate

vel officio constituti munitis, eamdem prorsus volumus haberi fidem, quae hisce Litteris haberetur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem hanc paginam evectionis, erectionis, constitutionis, commissionis, concessionis, et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo septimo, die decimasecunda Iunii mensis, Pontificatus Nostri anno nono.

Pro S. R. E. Cancellario

I. Card. GRANITO DI BELMONTE
Sacri Collegii Decanus

P. Card. FUMASONI BIONDI
S. C. de Propaganda Fide Praef.

† A. Carinci, Arch. tit. Seleuc., *Decanus Coll. Proton. Apost.*
F. Hannibal Ferretti, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXIII, n. 74 — Al. Trussardi.

II

DE OUAGADOUGOU (OUAHIGOUYAENSIS)

E VICARIATU APOSTOLICO DE OUAGADOUGOU PARS DISTRAHITUR ET NOVA ERIGITUR PRAEFECTURA APOSTOLICA OUAHIGOUYAENSIS.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quo in Africa Occidentali Gallica christiano nomini propagando aptius prospici possit, peropportunum visum est territorii partem e Vicariatu Apostolico de Ouagadougou distrahere et eam in novam erigere Praefecturam Apostolicam. De venerabilium itaque Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacrae Congregationi de Propaganda Fide praepositorum consilio, lubenti animo ad hoc Nobis oblatas preces excipiendas duximus. Suppleto igitur, quatenus opus sit, quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, omnibus mature perpensis, certa scientia ac de Nostrae apostolicae potestatis plenitudine, e

Vicariatus Apostolici de Ouagadougou territorio districtus civiles seu circulos de Ouahigouya et de Koudougon separamus, quorum territorium in novam erigimus et constituimus Praefecturam Apostolicam, Ouahigouyaensem nuncupandam, quam sollertibus Sodalium Missionariorum Africae, plures iam annos in regione illa adlaborantium, curis concreditam volumus, ad Nostrum tamen et Sedis Apostolicae beneplacitum. Huic porro novae Praefecturae Apostolicae eiusque pro tempore Praefectis Apostolicis omnia tribuimus iura, privilegia, honores et potestates, quibus ceterae per orbem Praefecturae Apostolicae earumque Praesules iure communi fruuntur et gaudent; eosque pariter iisdem adstringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri adstringuntur. Quae omnia ubi supra disposita et constituta, rata ac valida esse volumus et iubemus, contrariis quibuslibet minime obstantibus. Harum vero Litterarum transumptis aut excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eamdem prorsus volumus haberi fidem, quae hisce praesentibus haberetur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem hanc paginam dismembrationis, erectionis, constitutionis, commissionis, concessionis, statuti et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationis omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo septimo, die duodecima Iunii mensis, Pontificatus Nostris anno nono.

Pro S. R. E. Cancellario
I. Card. GRANITO DI BELMONTE
Sacri Collegii Decanus

P. Card. FUMASONI BIONDI
S. C. de Propaganda Fide Praef.

Alfridus Vitali, *Proton. Apost.*
Arthurus Mazzoni, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXIII, n. 75 — Al. Trussardi.

III

MONTIS LAUREI

IN CATHEDRALI ECCLESIA DIOECESIS MONTIS LAUREI CANONICORUM CAPITULUM ERIGITUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ex vetusto Ecclesiae instituto Canonicorum Capitula in cathedralibus potissimum templis constituere satagit Apostolica Sedes ut Dei laudes statutis diebus et horis persolvantur et Episcopi ecclesiasticorum virorum senatum habeant, qui sibi consilio et opera in suarum Ecclesiarum regimine et administratione praesto sint et in pontificalibus exercendis administrent. Quod quidem perpendentes, Nos libenter excipiendas duximus preces venerabilis Fratris Ioseph Eugenii Limoges, Episcopi Montis Laurei, qui ab hac Apostolica Sede expostulavit ut, ad divini cultus splendorem in sua cathedrali ecclesia magis augendum et ad suum senatum constituendum, cathedrale Capitulum constituatur. Quapropter, prae oculis habentes venerabilis Fratris Hildebrandi Antoniutti, Archiepiscopi titularis Synnadensis in Phrygia, Delegati Apostolici in Canadensi Ditione, favorabile votum, ac, suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, omnibus mature perpensis, certa scientia, et de apostolicae potestatis plenitudine, Capitulum in cathedrali ecclesia Montis Laurei erigimus, constans una Dignitate, nempe Decano, et novem Canonicis, quorum uni Theologi officium, ad sacrorum canonum normas, committatur. Huius autem Capituli Decano et Canonicis iura omnia et privilegia tribuimus, quae ceteris Capitulis Cathedralibus ex iure communi competunt, praeter ea quae hisce Litteris recensentur. Quoniam vero deficiunt in praesenti canonicales praebendae ac propterea presbyteri in Canonicos eligendi aliis ecclesiasticis muniis, praecipue animarum curae, ex quibus ad vitam necessaria sibi proveniunt, vacare debent, eosdem Capitulares, quousque erecti canonicatus congrua praebenda provisi non fuerint, a residentia penes ecclesiam cathedralem et ab oneribus choralibus interea eximimus et dispensamus, exceptis die duodecima mensis Septembris, in festo Sanctissimi Nominis Beatae Mariae Virginis aliisque festis solemnioribus Episcopo statuendis et exercitiorum spiritualium diebus. Eidem Episcopo facultas erit Canonicos convocandi quoties ipse necessarium vel opportunum iudicaverit ad ipsius Capituli vel Dioecesis negotia agenda, de quibus ex sacrorum canonum praescripto Capituli sententia est exquirenda. Mandamus insuper ut Dignitatis et Canonicatuum

collatio ad tramitem iuris fiat cum reservationibus in Codice Iuris Canonici statutis. Cum autem decorum sit illos qui in Episcopi consilium ac senatum adsciscuntur vestibus quoque a ceteris distingui et peculiaribus condecorari insignibus, concedimus ut Dignitas seu Decanus, et Canonici Capituli Cathedralis Montis Laurei in choro et in functionibus capitularibus, intra suae Dioecesis fines dumtaxat, deferre queant rochetum, cappam violaceam, pellibus ermellineis ornatam, vel, iuxta temporum opportunitatem, palliolum (vulgo *mozetta*) violacei coloris. Volumus porro ut quam primum capitulares constitutiones condantur, Episcopo adprobandae et Dignitati et Canonicis religiose servandae. Ad quae omnia ut supra disposita et constituta exsecutioni mandanda venerabilem quem supra diximus Fratrem Hildebrandum Antoniutti, in Canadensi Ditione Delegatum Apostolicum, deputamus eique propterea ad id necessarias et opportunas tribuimus facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, eidemque onus facimus ad Sacram Congregationem Consistorialem peractae exsecutionis actorum authenticum exemplar quam primum transmittendi. Praesentes autem Litteras firmas, validas et efficaces exsistere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere et, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, id irritum prorsus et inane esse et fore volumus ac declaramus, contrariis quibuslibet minime obstantibus, etiam speciali mentione dignis, quibus derogamus. Harum vero Litterarum transumptis vel excerptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis eadem prorsus tribuatur fides, quae hisce praesentibus tribueretur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem hanc paginam erectionis, constitutionis, statuti, concessionis, commissionis, derogationis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo septimo, die vigesima octava Iunii mensis, Pontificatus Nostri anno nono.

Pro S. R. E. Cancellario
I. Card. GRANITO DI BELMONTE
Decanus S. Collegii

Fr. RAPHAËL C. Card. ROSSI
S. C. Consistorialis a Secretis

† A. Carinci, Arch. tit. Seleuc., *Decanus Coll. Proton. Apost.*
F. Hannibal Ferretti, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXIII, n. 90. · Al. Trussardi.

IV

ROSARIENSIS

IN CATHEDRALI ECCLESIA ROSARIENSIS DIOECESIS CAPITULUM CANONICORUM ERIGITUR.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ut in cathedralibus ecclesiis divini cultus splendor augeatur et Sacrorum Antistites in sua quisque dioecesi ecclesiasticorum virorum, doctrina et virtute praestantium, senatum habeant, qui ad sacrorum canonum normam ipsos consilio et opera adiuvet, ac, sede vacante, in dioecesis regimine ipsorum vices suppleat, Apostolicae Sedis est Canonicorum Capitula erigere et constituere. Venerabilis itaque Fratris Antonii S. R. E. Cardinalis Caggiano, Rosariensis Episcopi, Nobis oblatas preces lubenti animo excipiendas duximus, quibus ipse in sua cathedrali ecclesia Capitulum institui postulavit. De Apostolicae igitur Nostrae potestatis plenitudine, attento Nuntiaturae Apostolicae in Republica Argentina favorabili voto, atque suppleto, quatenus opus sit, aliorum qui sua interesse praesumant consensu, Capitulum in cathedrali ecclesia Rosariensi erigimus et constituimus, quod duabus constabit dignitatibus, nempe Decano et Archidiacono, atque octo Canonicis, quorum alter iuxta iuris canonici praescriptum ad Theologi, alter ad Poenitentiarii officium deputetur. Praebenda canonicalis pro unoquoque capitulari erit dotatio, quae a Reipublicae Argentinae Gubernio praestabitur. Cum vero in praesenti presbyteri in canonicos eligendi aliis ecclesiasticis muniis vacare cogantur, Nos, quousque praesentes rerum condiciones perduraverint, statuimus ut servitium chorale reducatur ad horas canonicas minores recitandas, ad Missam solemnem cum cantu diebus dominicis aliisque festis de praecepto, in festivitate S. Marci et tribus diebus Rogationum Minorum, qui festum D. N. I. C. Ascensionis praecedunt; ad integrum officium divinum in triduo hebdomadae maioris, nec non ad functionibus pontificalibus in ecclesia cathedrali adsistentiam, atque ad Missae quotidianae applicationem pro benefactoribus ex parte canonici hebdomadarii. Dignitatum collationem Apostolicae Sedi ad iuris normam reservatam volumus; Canonicorum vero nominatio, servatis de iure servandis, ad Episcopum spectabit, dummodo beneficium pro illa vice reservationibus, de quibus in canone 1435, § 1, non sit obnoxium. Cum autem deceat ut qui in Episcopi consilium ac senatum adsciscuntur, quibusdam insignibus et privilegiis condecorentur,

statuimus ut Dignitates et Canonici intra fines tantum suae dioecesis et in functionibus capitularibus, rochetum et mozettam violacei coloris adhibeant. Volumus insuper ut quam primum fieri poterit capitulares constitutiones, ad iuris tramitem et iuxta quae uti supra a Nobis statuta sunt, conficiantur, quas, ab Episcopo adprobatas, ab omnibus postea Dignitatibus et Canonicis religiose observari iubemus. Decernimus denique ut, simul ac Capituli erectio ad exsecutionem demandata fuerit, ipso facto absque ulla declaratione Consultores dioecesani actu exsistentes a suo munere cessare debeant. Ad quae omnia uti supra disposita et constituta exsecutioni mandanda Venerabilem Fratrem Nostrum Antonium S. R. E. Cardinalem Caggiano, ipsius Rosariensis dioecesis Episcopum deputamus et ipsi facultates tribuimus ad id necessariam et opportunas, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, eidemque onus facimus ad Sacram Congregationem Consistorialem peractae exsecutionis actorum authenticum exemplar quam primum transmittendi. Praesentes autem litteras firmas, validas et efficaces exsistere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere et, si secus super his a quocumque quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, id irritum prorsus et inane esse et fore volumus ac declaramus, contrariis quibuslibet minime obstantibus, etiam speciali mentione dignis, quibus derogamus. Harum vero litterarum transumptis vel excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis eadem prorsus tribuatur fides, quae hisce praesentibus tribueretur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem hanc paginam erectionis, constitutionis, statuti, concessionis, derogationis, commissionis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo septimo, die quinta Iulii mensis, Pontificatus Nostri anno nono.

Pro S. R. E. Cancellario
I. Card. GRANITO DI BELMONTE
Decanus S. Collegii

Fr. RAPHAËL C. Card. ROSSI
S. C. Consistorialis a Secretis

Ludovicus Kaas, *Proton. Apost.*
Albertus Serafini, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXIII, n. 91. - Al. Trussardi.

V

DE KAFIRISTAN ET CASHMIRENSIS (RAWALPINDIENSIS)

PRAEFECTURA APOSTOLICA DE KAFIRISTAN ET CASHMIRENSIS, IN INDIIS ORIENTALIBUS, AD DIOECESIS GRADUM ET DIGNITATEM EVEHITUR, SUB NOMINE « RAWALPINDIENSIS ».

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Prisca et communis catholici orbis in dioeceses circumscriptio, a Nobis, pro supremo quo fungimur apostolico munere, exigit ut quaeque inter infideles enascens Ecclesia ad maioris dignitatis gradum evehatur, quotiens in illa fidelium frequentia et missionalia opera magnum susceperint incrementum. Cum itaque in Praefectura Apostolica de Kafiristan et Cashmirensi in Indiis Orientalibus ob auctum catholicorum munerum et alia, postremis potissimum hisce annis, suscepta incrementa catholica res non secus se habeat quam in ceteris Indiae Orientalis locis, ac proinde venerabilis Frater Leo Petrus Kierkels, Archiepiscopus titularis Salaminensis, in Indiis Orientalibus Delegatus Apostolicus, Nobis votum detulerit ut Praefectura illa in eumdem adducatur ordinem ac ceterae Indiarum Orientalium Ecclesiae, in quibus catholica hierarchia plurimos iam annos constituta est, Nos, de venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium S. Congregationi de Propaganda Fide praepositorum consilio, hoc votum libenter excipiendum censuimus. Omnibus igitur mature perpensis, suppleto, quatenus opus sit quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, certa scientia et supremae Nostrae potestatis plenitudine, Praefecturam Apostolicam de Kafiristan et Cashmirensem ad dioecesis gradum et dignitatem evehimus, eamque a *Rawalpindi* urbe *Rawalpindiensem* appellandam decernimus, et Societatis Missionariorum S. Ioseph de Mill Hill sodalium, qui in regione illa tam sollerter iam adlaborant, curis, ad Nostrum tamen et Apostolicae Sedis beneplacitum, concredimus. Huius novae Dioecesis episcopalem sedem in praefata *Rawalpindi* urbe, a qua Dioecesis ipsa nomen mutuatur, constituimus, ipsamque urbem propterea ad civitatis episcopalis fastigium extollimus. Episcopi vero cathedram in ecclesia Deo in honorem Sancti Ioseph, Sponsi B. M. V., in eadem urbe exstante, figimus, quam idcirco ad Ecclesiae Cathedralis gradum et di-

gnitatem evehimus eique atque pro tempore Episcopis Rawalpindiensibus omnia tribuimus iura, privilegia, insignia, honores et gratias, quibus ceterae Cathedrales Ecclesiae earumque Antistites iure communi fruuntur et gaudent, illosque pariter iisdem adstringimus oneribus et obligationibus quibus ceteri adstringuntur. Dioecesim autem Rawalpindiensem suffraganeam constituimus Metropolitanae Ecclesiae Delhiensi et Simlensi, cuius propterea Archiepiscopi metropolitico iuri Episcopos pro tempore Rawalpindienses subiectos volumus. Quum vero praesentis temporis adiuncta haud permittant quominus in nova hac Dioecesi Canonicorum Capitulum modo constituatur, indulgemus ut interim pro Canonicis Dioecesani Consultores eligantur et adhibeantur. Quod autem attinet ad huius Dioecesis regimen et administrationem, ad Vicarii Capitularis seu Administratoris, sede vacante, electionem, ad illorum qui in sortem Domini vocati sint institutionem, ad clericorum et fidelium iura et onera aliaque huiusmodi servanda iubemus, quae sacri canones et decreta synodalia in Indiis Orientalibus vigentia praescribunt. Mensae episcopalis dotem constituent curiae emolumenta et oblationes, quae a fidelibus, in quorum bonum nova Dioecesis erecta est, praeberi solent, praeter bona illa, si quae sint, ad Praefecturam Apostolicam de Kafiristan et Cashmirensem iam pertinentia. Ad quae omnia, uti supra disposita ac statuta, exsecutioni mandanda venerabilem quem supra diximus Fratrem Leones Petrum Kierkels, Nostrum in Indiis Orientalibus Delegatum Apostolicum, deligimus eique propterea necessarias ad id et opportunas tribuimus facultates, etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, facto eidem onere authenticum peractae exsecutionis actorum exemplar ad S. Congregationem de Propaganda Fide quamcitius transmittendi. Volumus denique ut harum Litterarum transumptis vel excerptis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae hisce Litteris tribueretur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Praesentes autem Litteras et in eis contenta quaecumque, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel quolibet alio, licet substantiali et inexcogitato, defectu notari, impugnari vel in controversiam vocari posse, sed eas tanquam ex certa scientia ac potestatis plenitudine factas et emanatas perpetuo validas exsistere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere, et, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum prorsus et inane esse et fore

volumus ac decernimus; non obstantibus regulis in synodalibus, provincialibus, generalibus universalibusque Conciliis editis, specialibus vel generalibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis et quibusvis aliis Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum dispositionibus ceterisque contrariis, quibus omnibus, etiam speciali mentione dignis, per praesentes derogamus. Nemini ergo liceat hanc paginam evectionis, erectionis, constitutionis, concessionis, subiectionis, decreti, delegationis, derogationis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo septimo, die decima Iulii mensis, Pontificatus Nostri anno nono.

Pro S. R. E. Cancellario

I. Card. GRANITO DI BELMONTE
Sacri Collegii Decanus

P. Card. FUMASONI BIONDI
S. C. de Propaganda Fide Praef.

Arthurus Mazzoni, *Proton. Apost.*
Alfridus Vitali, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXIII, n. 96 — Al. Trussardi.

VI

DE TAMING
(TAMIMENSIS)

PRAEFECTURA APOSTOLICA DE TAMING IN DIOECESIM « TAMIMENSEM » NOMINE CONSTITUITUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Inceptum a Nobis opus episcopalem in Sinis hierarchiam constituendi prosequi cupientes atque animo volventes in Praefectura Apostolica de Taming, opera potissimum sodalium Societatis Iesu eorumque indefesso labore constantique zelo, non mediocre catholicam religionem incrementum suscepisse et missionalia opera multiplicata esse, sane congruum visum est Praefecturam illam ad dioecesis gradum et dignitatem extollere. Nos itaque, attento favorabili voto Internuntii Apostolici in Sinis,

de venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium S. Congregationi de Propaganda Fide praepositorum consilio, precibus annuentes a dilecto Filio Societatis Iesu Praeposito Generali Nobis ad hoc porrectis, suppleto, quatenus opus sit quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, certa scientia deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, Praefecturam Apostolicam de Taming in Sinis, iisdem servatis limitibus, in dioecesim a *Taming* urbe *Tamimensem* appellandam, erigimus. Huius autem novae dioecesis sedem in *Taming* urbe constituimus, quam propterea ad civitatis episcopalis fastigium extollimus; Episcopi vero cathedram in ecclesia principe in urbe illa extante figimus, quam proinde ad cathedralis Ecclesiae gradum et dignitatem evehimus eique ac pro tempore Episcopis Tamimensibus omnia tribuimus iura, privilegia, insignia, honores et gratias, quibus ceterae cathedrales Ecclesiae earumque antistites iure communi fruuntur et gaudent; illosque pariter iisdem adstringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri adstringuntur. Hanc porro Tamimensem dioecesim suffraganeam constituimus metropolitanae Ecclesiae Pechimensi, eiusque igitur pro tempore Episcopos metropolitico Archiepiscopi Pechimensis iuri subiicimus. Cum vero temporum rerumque adiuncta haud permittant quominus in nova ista dioecesi Canonicorum Capitulum modo erigatur, indulgemus ut interim pro Canonicis Dioecesani Consultores eligantur et adhibeantur. Episcopalem mensam constituent Curiae episcopalis emolumenta et oblationes, quae a fidelibus, in quorum bonum ipsa dioecesis erecta est, praeberi solent, praeter bona illa quae ad Praefecturam Apostolicam hucusque spectabant. Ad quae omnia ut supra disposita et constituta exsecutioni mandanda venerabilem Fratrem Antonium Riberi, Archiepiscopum titularem Darensem, in Sinis Internuntium Apostolicum deputamus eique propterea necessarias ad id et opportunas tribuimus facultates, etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, eidemque onus imponimus peractae exsecutionis actorum authenticum exemplar ad S. Congregationem de Propaganda Fide quamtocius transmittendi. Praesentes autem Litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet quorum intersit vel qui sua interesse praesumant, etiam si specifica et individua mentione digni sint, auditi non fuerint vel praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae vel quolibet alio, licet substantiali et inexcogitato defectu notari, impugnari vel in controversiam vocari posse, sed eas, tamquam ex certa scientia factas et emanatas, perpetuo validas existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere

atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere, et, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum prorsus et inane esse et fore volumus ac decernimus; non obstantibus, quatenus opus sit, regulis in synodalibus, provincialibus, generalibus universalibusque Conciliis editis, generalibus vel specialibus Constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et quibusvis aliis Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum dispositionibus ceterisque contrariis, etiam speciali mentione dignis, quibus omnibus per praesentes derogamus. Volumus denique ut harum Litterarum transumptis vel excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae praesentibus tribueretur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem hanc paginam evectionis, erectionis, constitutionis, subiectionis, statuti, mandati, decreti, delegationis, derogationis et voluntatis Nostrae infringere, vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo septimo, die decima Iulii mensis, Pontificatus Nostri anno nono.

Pro S. R. E. Cancellario

I. Card. GRANITO DI BELMONTE
Sacri Collegii Decanus

P. Card. FUMASONI BIONDI
S. C. de Propaganda Fide Praef.

† A. Carinci, Arch. tit. Seleuc., *Decanus Coll. Proton. Apost.*
F. Hannibal Ferretti, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXIII, n. 92 — Al. Trussardi.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

CATHEDRALIS ECCLESIA THERMULARUM AD DIGNITATEM ET HONOREM BASILICAE MINORIS EVEHITUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Tanta fuit semper gravitas apud omnes populos, tantaque sacrarum aedium dignitas, ut non modo « domus orationis » atque liturgici sacrificii, sed etiam religionis tutamen ac

fidei praesidium firmissime habitae sint. Prae ceteris tamen nationibus, apud Hebraeos, Deo inspirante, sacrum Templi officium penitus intellectum fuisse constat et ad maximum sanctitatis fastigium evectum; splendidissima sollemnia, praesertim Salomonis Regis opera, eiusdem Templi « dedicationi » comitabantur; id quod Hebraei poëticis locutionibus exprimebant, ut: « domus Domini firmiter aedificata », « tabernaculum Domini », « domus Dei et porta caeli ». Christus autem Dominus, qui venit in mundum non ut « solveret Legem », sed ut « adimpleret », ad potiorem perfectioremque gradum Templi dignitatem eiusque sanctificationis officium tum evexit, cum tabernaculum Dei viventis sub Eucharisticis Speciebus illud effecit, omniaque fere Sacramenta in ipso proprie confici voluit. Decet proinde Apostolicum quoque mandatum Nostrum Templa, vel antiquitate vel celebritate eminentia, peculiari prosequi veneratione et honore. Quas inter Ecclesias potissime memoratu dignum Nobis visum est Thermularum Templum maximum, quod tum Fidei tum in Deum caritatis sollemne testimonium iure meritoque habendum est. Antiquissima eiusdem Ecclesiae historia Evangelii praedicationem initia ibi habuisse incrementumque suscepisse testatur, sive paleo-christianis structuris, sive operibus musivis, sive romanicis gothicisque architecturis, quae omnia etiam nunc maxima admiratione fruuntur, postquam Venerabilis Frater Oddo Bernacchia, Larinensis et Thermularum Episcopus, universo Canonicorum, Cleri, Optimatum populique Coetu plaudente, ne gravissimis quidem, immani bello partis, difficultatibus deterritus, Thermulanam Ecclesiam Cathedralem reficiendam et in pristinum restituendam naviter curavit. Maximum vero ipsius pervetusti Templi thesaurum gloriosa constituunt Martyrum Corpora, in novissima pulcherrimaque crypta religiose nuper reposita, Sancti Bassi Nicensis Episcopi, qui saeculo tertio post Christum natum martyrio coronatus est; atque celeberrimi illius Timothei, Sancti Pauli Apostoli asseclae, qui, ab ipso ad Ephesinam Episcopalem Cathedram elatus, duas epistolas « pastorales » recipere ab eodem Apostolo meruit. Unus vero et alter Civitatis ac Dioecesis aeque praecipui sunt Patroni Caelestes, cum Nosmet ipsi Divo Basso Patronum nuperrime Sanctum Timotheum adiunxerimus, sacris huius Ossibus feliciter inventis riteque recognitis. Quam ob rem, publicum luculentumque paternae dilectionis Nostrae pignus celeberrimae illi ac pervetustae Ecclesiae Cathedrali tribuere volentes, enixa supra memorati Ordinarii, Canonicorum, Cleri, Procerum universique Thermulani populi vota excipienda ducimus; ac, proinde, audito quoque Venerabili Fratre Nostro Carolo Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Salotti, Episcopo Praenestino et Sacrae Rituum Con-

gregationis Praefecto, certa scientia ac matura deliberatione Nostris, atque Apostolica Nostra auctoritate, praesentium Litterarum vi perpetuumque in modum, Ecclesiam Cathedralem Thermularum dioeceseos titulo, honoribus ac privilegiis Basilicae Minoris decoramus atque afficimus. Contrariis quibuslibet nihil obstantibus. Haec edicimus ac statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illique Thermularum Ecclesiae Cathedrali, ad quam pertinent, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXV mensis Aprilis, anno MCMXXXXVII, Pontificatus Nostri nono.

De speciali Sanctissimi mandato
Pro Domino Cardinali a Secretis Status
DOMINICUS SPADA
a Brevibus Apostolicis.

II

DELEGATIO APOSTOLICA IN ARCHIPELAGO INDONESIANO ERIGITUR

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — De animarum salute perquam solliciti, mentem animumque Nostrum paternum quoquoversus vertentes, Nos etiam in longinquis diversisque regionibus fidei propagationi fideliumque spirituali bono valde consulimus ac prospicimus, et quidquid opportunum Nobis videtur ad auspicatam messem in arvo Domini ab Evangelii praeconibus serendam condendamque sedulo exsequimur. Quapropter, cum persuasum sit Nobis in Archipelagi Indonesiani insulis, hucusque sub dicione Apostolicae Delegationis Australasiae, propriam Delegationem Apostolicam necessitatibus Christi militum illic fervide pro fide certantium, fideliumque bono satius provisuram esse, audito Dilecto Filio Nostro Petro Sanctae Romanae Ecclesiae Presbytero Cardinali Fumasoni Biondi, Sacrae de Propaganda Fide Congregationis Praefecto, eiusdem Congregationis sententiam ratam firmamque habentes, hisce Litteris Apostolicis atque Nostra auctoritate Apostolicam Delegationem in Archipelago Indonesiano erigimus atque erectam declaramus,

eiusque curis committere decernimus tum Maiores tum Minores Sundae Insulas, eas insuper quas Moluccas vocant, nec non Insulae Novae Guineae partem occidentalem usque ad centesimam quadragesimam primam lineam meridianam longitudinis orientalis una cum minoribus adnexis insulis intra eosdem limites. Supra recensitae Delegationi Apostolicae omnia et singula deferimus iura, privilegia atque officia, quae huiusmodi Delegationum iure communi propria sunt. Haec statuimus, decernentes has Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere, suosque plenos et integros effectus sortiri et obtinere; ipsique Delegationi Apostolicae per Nos in Archipelago Indonesiano constitutae nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam, secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Contrariis quibuslibet nihil obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die VII mensis Iulii, anno MCMXXXXVII, Pontificatus Nostri nono.

De speciali Sanctissimi mandato
Pro Dño Cardinali a Secretis Status
DOMINICUS SPADA
a Brevibus Apostolicis.

EPISTULAE

I

AD EM̃UM P. D. IACOBUM ALOYSIUM TIT. SANCTI HIERONYMI ILLYRICORUM S. R. E. PRESBYTERUM CARDINALEM COPELLO, ARCHIEPISCOPUM BONAËRENSEM, QUEM LEGATUM RENUNTIAT AD MARIALEM CONVENTUM E TOTA ARGENTINA REPUBLICA IN URBE LUJÁN CELEBRANDUM.

PIUS PP. XII

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Laeto quidem animo accepimus, Marialem Congressum e tota Argentina republica in urbe Luján propediem actum iri. Pro explorato enim habemus, eiusmodi sacros conventus ad religionem divinae Matris in populis fovendam conferre magnopere eiusque validissimum praesidium, tot inter pericula omne genus prementesque asperitates, efficaciter conciliare. Quapropter Nos, qui nihil habemus antiquius, quam ut divinum cultum atque suavissimam erga Deiparam pietatem in christiana plebe exacua-

mus, non modo studiosos Congressionis apparatus peculiari laude commendationeque prosequimur, verum etiam proximis eiusdem coetibus ritibusque praeesse quodammodo exoptamus. Te igitur, Dilecte Fili Noster, qui, Romana purpura ac dignitate archiepiscopali fulgens, perinsignis Sedis Bonaërensis gubernacula regis, Legatum Nostrum a Latere, ut iam antea nuntiavimus, hisce litteris deligimus, qui Nostram gerens personam Mariali Conventui in urbe Luján mox habendo Nostra auctoritate praesideas. Id autem fore confidimus, ut, pro tua aliorumque sacrorum Antistitum praesentia ac pietate, quibus certe magna accedet fidelium multitudo, celebria ac salutaria fiant sollemnia sacra, eademque in Virginis Matris triumphum inque religionis incrementum auspicato cedant. Quo interea ipsius rei splendorem animarumque fructum adaugeamus, tibi ultro tribuimus facultatem, ut, constituta die, post Sacrum pontificali ritu peractum, adstantibus fidelibus nomine Nostro Nostraque potestate benedicas, plenariam indulgentiam iisdem proponens, usitatis Ecclesiae condicionibus lucrandam. Divinorum itaque donorum nuntia et conciliatrix, praecipuaeque Nostrae benevolentiae testis esto Apostolica Benedictio, quam tibi, Dilecte Fili Noster, tuisque legationis sociis, nec non iis universis, qui Congressioni Mariali intererunt, amantissime in Domino impertimus.

